

V. Inter cælum stellarum fixarum & primum mobile alij aliū adhuc orbem confixerunt pro motu erepidationis seu liberationis, vel accessu & recessu qui sit à septentrione in meridiem. Quem motum posteriores adhuc Astronomi deprehenderunt. Et alij cælum Crystallinum seu aqueum supra stellarum posuerunt in quo nulla stelle fulgeant, sed perspicuum admodum aquarum referat similitudinem.

VI. Supra hos omnes orbis Theologi Pontifici aliud adhuc cælum constituere, Empyreum ipsi dictum, à summâ luciditate: quod illis est sedes Deorum angelorum, & beatarum mentium: nonnullis cælum tertium dictum est, alijs cælum beatorum, item cælum cælorum, &c. Atq; hoc alij faciunt quadratum, alij rotundum: alij corporale & locale, alij spirituale, alij neutrum vel medium. Et ut Turci Paradisum imaginantur talem, in quo sint voluptates mundanae, sedilia, choreæ, epulæ; itemque Iudei gratiosum Christi regnum corporale fore se imaginabantur: ita etiam nonnulli ex Scholasticis hoc ipsum statuere, ut Bonaventura, Bernbardus alijq; ut Bullingerus, Martyr, Martinus &c. qui ex principijs anthropomorphiticis putant ibi esse mansiones, spatia, & loca talia, in quibus localiter eatur, sedeatur, stetur & ambuletur. Atq; ut secundum partes qualitates & situm (quem praeferunt præcisè supra aspectabiles cælos) describunt, si ipsi vidisset eorū. Quamvis aliqui triplex ta-